Ochocki Gabrielis: Quaestio de motu cordis. a. 1628.

QVÆSTIO
De Motu Cordis.

QVÆ

Præſidente Clariſſimo & Excellentiſſ: Viro,

D. MATHIA WONIEISKI,

Medicinæ Doct. Ordinario Anatomes Profeſſore; Acad: Procancell: necnon Conſule Crac. D. & Præceptore obſeruandiſſimo:

A

M. GABRIELE OCHOCKI, *Seniore Contubernij Philoſ. pro obtinenda prima Facultatis Medicæ Laurea, decidetur, & ad diſputandum publicè proponetur,*


In Lectorio Superiori.

Anno Dñi, M.DC.XXVIII. Menſe Martio. Die 28. Hora 13.

Permiſſu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr. Anno Domini, M. DC. XXVIII.



Quid turrita sedet portis ac cardine laxo
CRACIA, Sarmatici gloria prima Poli?
Auspicijs secura sui, viget Alma, Senatus,
Nec timet hostiles, hoc vigilante, dolos.

AMPLISSIMO CIVITATIS CRACOVIÆ SENATVI, PROCONSVLI, ET CONSVLIBVS.

DD. & Fautoribus Colendissimis.

PRimos hos, ex amænis Medicinæ viretis, à me delibatos fructus, Vestræ Autoritatis Sole fouendos, Viri Amplissimi, existimaui. Aut enim alibi tutiùs herbescentem, Medicæ progressionis floriditatem, quàm apud Vos collocare possem? Semper ille vester meis occursat oculis, cùm Dignitatis, tùm verò Authoritatis omnis plenissimus consessus, quoties cari Parentis in mentem mihi memoria venit. Vobiscum ille in partem publici oneris ibat: vobiscum patriæ, atq; omnium prospiciebat saluti: vt quæ vos communis coniunxerat cura, eadem & posteris nobis obligaret. Vos filio superstiti, quod Vester omnino esset, neutiquam cam-

pum inuidiſtis, in quo virtus ſua excurrere cogno-ſciq́ poſſet. Dediſtis enim pignora, ſpem ac florem Patriæ Veſtræ, quo ſtudio, curaq́ meâ, ad eas cumprimis artes præparari poſſent, quæ Vos, Vrbemq́ Veſtram, ſingulari olim fruge bearent. Quo igitur omnibus conſtaret, obnoxium me Vobis ſemper inprimis eſſe, breuem hanc de motu Cordis diſceptationem Vobis deuouendam duxi: vt quorum Officio Vrbs hæc conſilia & tranquillitatem, Spiritum videlicet, vitamq́ deberet, eorũdem Patrocinio mea hæc de Corde diſſertatio, parte hominis maximè vitali, muniatur. Accipite iſtam voluntatis meæ & obſeruantiæ, in Vos officioſam ſignificationem, & quæ Vobis in Patriam & Patritios charitas eſt, ea in Almam Academiam vt ſemper ſit, ſingularis bonitas, & humanitas Veſtra impetrabit. Viuite Regno, Vrbi, & bonis ſtudijs diutiſſimè florentes.

Vobis, Senatus Ampliſſime, æternùm deuotus

M. Gabriel Ochocki,
Senior Contub: Philoſ.

QVÆSTIO.

V. Cor naturaliter à vi Pulsifica, an verò violenter à sanguine ebulliente, Calidi Innati gratiâ moueatur, necnè?

CONCLVSIO I.

Cor secundùm vtramque motus sui partem, Diastolen videlicet, atq; Systolen, Naturaliter mouetur.

COROLLARIA.

1. *Cor Animæ instrumentum non est, sed Naturæ.*
2. *Diastole Cordis, atq; etiam Systole, à Naturali visceris temperie procedunt.*
3. *Motus Cordis præter Naturam etsi formaliter violentus sit: benè tamen efficienter Naturalis existit.*
4. *Vt sanguinis venosi in Cor attractio, ita Arteriosi à corde transmißio, Naturalis existit.*

CONCLVSIO II.

Cor ſecundùm vtramq́ue partem ſui motus, à vi Pulſifica mouetur.

COROLLARIA.

1. *Vis Pulſifica eſt qualitas effectiua continui motûs cordis.*

2. *Vis Pulſifica per aliam ſui partem dilatat Cor, per aliam conſtringit.*

3. *Palpitatio Cordis, eſt effectus Pulſificæ virtutis à morbo irritatæ.*

4. *Cor non dilatatur ex eo quòd impleatur, etſi benè impleatur quòd dilatetur.*

CON-

CONCLVSIO III.

Cor à ſanguine ebulliente non mouetur.

COROLLARIA.

1. *Omnes partium omnium functiones, quæcunque ſecundùm Naturam fiunt, à principio intrinſeco fiunt.*

2. *Motûs Cordis, interna eſt, non verò forinſecus aduenìens, cauſa.*

3. *Sanguis Animæ inſtrumentum non eſt, etſi materia circa quam verſatur, exiſtat.*

4. *Ebullitio ſanguinis, quamuis primò & per ſe dilatationis Cordis cauſa non ſit: benè tamen per Accidens eſſe poteſt.*

CON-

CONCLVSIO IV.

Cor ſecundùm vtramq́; motus ſui partem, Calidi Innati gratiâ mouetur.

COROLLARIA.

1. *Materia Calidi Innati in ventriculos Cordis Dilatatione attrahitur, Sanguis nimirum & Aër.*

2. *Calidum innatum Conſtrictione Cordis, tranſmittitur in corpus, ſanguis ſcilicet Arterioſus, & Spiritus vitalis.*

3. *Calidi Innati Subſtantia, Syſtoles officio, à fuliginum præſentia depuratur.*

4. *Calidum Innatum Influens, habet ſe per modum actus, reſpectu Implantati.*